

IOSEPHI  
GIBALINI

E' SOC. IESV THEOLOGI,

Disquisitiones Canonicae

DE CLAVSURA REGVLARI,

Ex Veteri, et Novo Iure :

*Bibliotheca Collegij Regalis Almanticensis Societatis Iesu, ex eiusdem  
Operis de Scientia Canonica Specimen. et redditibus comparabilis.*



LVGDVNI,

Sumptib. Hæc. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE,  
& LAURENTII ARNAVD.

M. DC. XLVIII.

CVM SUPERIORVM PERMISSV.



EMINENTISSIMO  
ET REVEREND. PRINCIPI  
ALPHONSO-LVDOVICO  
DV PLESSIS  
DE RICHELIEV,  
S. R. E. CARDINALI  
AMPLISSIMO,  
ARCHIEPISCOPO ET COMITI  
*Lugdunensi, Galliarum Primate, Magno  
Francia Eleemosynario.*

**N**OVVS hic foetus ambit lucem  
Purpuræ tuæ, quia tuus est,  
(CARDINALIS EMINENTISSIME)  
ad vocem iubentis Eminentia  
tuæ, cœpit & adoleuit, gestiens  
eandem habere obstetricem sui, quam prodi-  
gia vitæ tuæ, tibi que tot præstare argumenta  
obsequij mei, quot apices includit. Neque ve-



# DISQUISITIONES Canonicae.

## DE CLAVSURA REGVLARI.

1.



ARVM disquisitionum argumentum perspicuum faciet vocis clausuræ significatio. Inuitus quidem penitiores aedes lustrandi auidum te in hoc aditu detineo; vereor enim ne ex ignobili vestibulo reliqui ædificij dignitatem metiaris. Verum ea Scriptoribus omnibus posita lex est, vt à vocum obscuriorum explicatione sua auspicientur opera; latentem enim in ignotis sibi nominibus sententiam, & Scriptoris mentem Lector assequi non poterit, neque importuna videri debet grammatica ista observatio quando vnius vculæ enucleatione totius operis materia continetur, & reliquæ tractationi lux affunditur.

Clausura igitur significat imprimis illud omne quo locus aliquis cingitur, aut includitur, & qui alicubi ita tenetur, vt illi nullus pateat discedendi aditus, aut via, clausus dicitur ab Vlpiano l. 3. si quis, ff. ad Senatusc. Syllanianum, §. 6. subuenitur. Ignosci

enim vult seruis qui cædem domini non impediuerint, si sine dolo malo, ita clausi fuerint, vt erumpere succurrédi causa non possent. Eadem est & claustris significatio, dixitque Tull. omnes sinus, promontoria, vrbes maritimas claustris imperij contineri. Angustia quoque viarum quæ regionem aperiunt, vt loquitur Curtius, & limites qui illam terminant, describunt, & separant ab aliis, atque obices qui defendunt & tuentur, Clausuræ, Clusæ, Clusuræ, & Clisuræ nominantur. Extat Epistola Theodorici apud Cassiod. lib. 2. variat. ad vniuersos Gothos, & Romanos, & eos qui portibus, & clusuris præfunt. lib. 8. leg. Visigot. tit. 13. l. 14. quod si de domo eius aut clusura inuolauerit. Suidas confundit κλυσῶραν ἐμβολῶν, & εἰσοδόν, ostium, clausuram, aditum, atque lingua Romana sic vocari ὀχυρομασία ἢ διαβάσιον, castella munita in aditu, aut transitu. Apud Cedrenum, & Constantin. Porphirogen. in Chronographia legitur κλοισῶραρχος, clisuræ, aut clausuræ Præfectus, cuius etiam mentio fit Lin